



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,
opusculum:||**

Clicthove, Josse

Coloniae, 1527

VD16 C 4208

Q, ex uerbis B. Pauli in suis epistolis ad Corint[em] & Hebrae[em] etiam colligitur uerum Christi corpus, esse in sacra eucharistia. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30220

DE SACRAMENTO

euangelij uerba, p totū hoc caput adducta: diuersis sanctorū patrum hanc euangelicam lectionē exponentiū sententijs cōprobari. sed ad fugiendā prolixitatem nimiam: cōsulto hic prātermittūtur.

¶ Q, ex uerbis beati Pauli in suis epistolis: etiam colligitur uerum Christi corpus esse in sacra eucharistia. Cap. X

Post euangelica autē uerba, nunc oportu-
nū est nos ad sacras deiferi Pauli episto-
las transferre sermonē: ad cōfirmandā
amplius nostri instituti ueritatem. mō
id unum in calce Euangelij scđm Mat-
thæum, positum protulerimus uerbum: præsenti
negocio nō incōgruum: quo dominus noster a su-
is discipulis per gloriosam ascensionem discessu-
rus, dixit illis: Ecce ego uobiscum sum omnibus
diebus: usq; ad cōsummationem sæculi. Quod sa-
ne uerbum, nōnulli interpretes sacri (ut Nicolau
Matth. 28 Lyranus, & pleriq; alijs, quemadmodū secundus
Nic. Lyr. huins operis ostendet liber) asserunt accipiendum
esse nō modo de occulta ipsius præsentiā per diui-
nitatis uirtutem & directionis in fide & moribus
efficaciam: sed & p ueram ī sancto eucharistiæ sa-
cramento sui corporis præsentiā, quā ad finem
usq; sæculi est exhibiturus suæ ecclesiæ. Atq; hoc
secundo mō nobiscum non fuisset nec esset Chri-
stus: si in eo mysterio tmmodo foret ut in signo, iu-
xta Oecolampadij placitū, & secundum assum-
ptum pro nobis corpus solum in cœlo consisteret
ad dexteram patris. Q, si admittatur ipse Chrūs
secundum spūm & gratuitam directionem nobis
semper adesse primo mō nunc assignato, ut etiam

non diffidentur aduersarij: nunquid ecclesiam, suam
 sponsam ita destituisse credendus est ipse suo præ
 sidio, directriceq; sua uirtute: ut permiserit eam a
 principio legis euangelicæ ad hæc usque tpa cæ
 cutire in tenebris, & caliginoso errore obduci cir
 ca hanc eucharistiæ materiam: per tot annor; cur
 ricula? & paucis ante annis ipsam rei ueritatē ma
 nifestauerit Oecolāpadio, & eius affectatoribus?
 utpote q; non est in Eucharistia uer; Christi cor
 pus: sed tm̄ eius figura. Certe non debet sibi quis
 quam persuadere, ipsum ecclesiæ sponsum ita di
 lectam suam sponsam contra suam pollicitatio
 nem deseruisse: ut hactenus eam fuerit passus tam
 crasso teneri & pernicioso errore, & nunc primū
 eam ignorantia nubē reuerata ueritate depulerit.

¶ Sed nūc (ut proposuimus) ex apostoli v̄bis eam
 dem fulciamus ueritatē: & primum eam in medi
 um afferamus propositionem, quā in decimo pri
 mæ suæ ad Corinth. epistolæ capite scribit, dicens:
 Calix benedictiōis cui benedicimus: nonne cōica
 tio sanguinis Christi est? Et panis quē frangimus
 nonne participatio corporis domini est? Vbi cali
 cem benedictionis uocat cōicationem calicis con
 secrati: & continentis uinum sacerdotali consecra
 tione benedictum. Hunc autem dicit esse cōicatio
 nem sanguinis Christi: qm̄ illum percipientes, ue
 re sanguinis domini suscipiunt communionē: non
 commemorationem tm̄ aut repræsentationem, ut
 dicunt aduersarij. Eodem quoq; in loco, panē uo
 cat apostolus, sacrosanctam eucharistiam & ho
 stiam, sacerdotali benedictione consecratā: & spe
 cies panis qui præextiterat, adhuc retinentem: ob
 quas eodem quoq; nomine, utpote panis, appella
 tur. Et hunc frangi dicit, attendendo dissectionem

2
 I. Cor. 10.

E

DE SACRAMENTO

atq; p̄titionē: q̄ in exteriorib. fit ipsius hostiæ speciebus: atq; in superstite illius quantitate. Nam sacrum corpus dñi illis uelatum, omnino expers est illius fractionis: sicut nec afficitur illis accidentib. residuis. Hunc itaq; panem diuinus apostolus affirmat esse participationem corporis domini: quoniam ipsum manducātes, uere participant & re ipsa corpus Christi, secundū substantiam illic præsens. Non igitur in eucharistia, corpus dñi est tantū ut in figura aut signo: & per modum cuiusdam solius repræsentationis. Quoniam si ita se res haberet: sumptio calicis sacri non esset cōmunicatio sanguinis Christi, & manducatio panis sancti non esset participatio corporis eius: ut hic perhibet Paulus, sed tantum foret cōmemoratio corporis & sanguinis eiusdem, quod Paulinæ omnino aduersatur sententiæ. ¶ Præterea in undecimo eiusdem epistolæ primæ ad Corinth. capite, post enarratam diuini Eucharistiæ mysterij primam institutionem, subiungit apostolus. Quotienscunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem domini annunciabitis donec ueniat. In quo loco & sequentibus eiusdem capituli locis: noīe panis intelligit idem, sacri domini corpus, speciebus panis obuelatum, & uere sub illis contentum. & nomine calicis: preciosum Christi sanguinem, in calice sub uini speciebus delitescens. Quod uel eo plane conuicitur argumento: quoniam in cōsequentibus eiusdem loci uerbis, ubi in priore snia panem & calicem domini nominauit Apostolus: in posteriore quasi seipsum explicans, corpus & sanguinem domini nominatim exprimit, ut litera apostolica dilucide prodit. Itaq; in citatis postremo uerbis designat Paulus, q̄ quotienscunq; corpus & sanguis

1. Cor. II

EVCHARISTIAE. I. 34

domini sumitur a fidelibus: memoria passionis eius & mortis recolitur, & representabitur ad finem usque seculi: donec ueniat ipse ad iudicium uniuersale & extremum. Neque id quidem ab re. Nam ad illam commemorationem faciendam: institutum est primo illud admirabile mysterium a Christo, qui suis dixit apostolis, cum hoc institueret. Hoc facite in meam commemorationem. At si in eucharistia solum est corpus domini tanquam in figura & signo: quid opus est ad commemorationem mortis dominicæ, manducatione panis illius & sumptione uini? Nonne si illa duo signa reseruarentur incolumpta & illesa: æque domini passionem referrent? Nonne & alio modo æque efficaci, ut pictura, aut statua imaginumue effigiatione representaretur mors dominica: atque panis & uini obiecto nostris oculis cõtuitu & inuenero cõmodius & facilius. Quam igitur hic sapius à Paulo & apud Ioannem capi. 6. sui Euangelij, a Christo cõmendatur māducatio & bibitio huius mysterij: certe nõ sola cõmemoratio (ut astruunt aduersarij) sed & aliud quiddam sublimius. scilicet communicatio corporis & sanguinis domini, per esum illum & potum prædicatur ac celebratur. ¶ Insuper grauem interminationem intonat eodem in loco sua epistolæ sacer apostolus ihs, qui indigne tantã contractauerint mysteria: his uerbis. Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem domini indigne: reus erit corporis & sanguinis domini. Et idcirco solícite admonet, quæque ante susceptionem tanti sacramenti seipsum exacte discutere debere: cum subdit. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui autem fuerit, ut tam grauem quis reatum incurrat, quo corporis & sanguinis domini reus dicatur: si in pane

Luc. 22

4

1. Cor. 11

B z

DE SACRAMENTO

& uino, sacerdotali ministerio consecrato, corpus
& sanguis dñi tantum contineatur ut in figura, &
nō assit illic reuera corpus dñicum? Cur etiam ob
sumptionē panis & uini materialis, sacrati in me-
moriam dñicæ passionis, tanta opus fuerit indagi-
ne conscientie & sui ipsius præparatione: q̄ tam
dicit apostolus regri ad dignam illius panis & cali-
cis sumptionem? Hæc igitur apostolica uerba cō-
uincunt: in pane illo cōsecrato & calice, uere Chri
corpus & sanguinem contineri. Quod adhuc apri
us ex consequentibus eiusdem uerbis colligitur: q̄
ita subiicit. Qui manducat & bibit indigne: iudici-
um sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus
dñi. Et ut exempli euidentia suū confirmet dictū:
scribit ibidem multos Corinthiorū propter indi-
gnam sanctæ Eucharistiæ sumptionem grauer
fuisse afflictos aut morte præmatura, aut aduersa
ualitudine, aut corpis imbecillitate. Ideo, inquit,
inter uos multi infirmi & imbecilles: & dormiunt
multi. Cæterū quis recte & probe dixerit, propter
panis & uini materialis ad dñicæ passionis memo-
riam consecrati sumptionem immoderatam, aut
sine præparatione animi factam: aliquem sibi dā-
nationem acquirere, q̄ a cōmunibus cibus illā do-
minici corporis figuram non discernat? qui certe
nihil aut parū haberet discriminis: a cæteris cibus
corporalibus. Et de quo uere dixeris, q̄ non diju-
dicat corpus dñi: nisi de illo qui uere illud sumit. q̄
idem, sed a cōmunibus cibus ipsum non discernit.
cum id accipit impræparatus, & mente inquina-
ta? Certe & agnus paschalis erat figura dñicæ pas-
sionis: de quo tamen dictum est. Caput cum pedi-
bus & intestinis uorabitis: & comedetis festinan-
ter. Neq; aliqua in illo māducando, aut manna su-

Ibidem.

1. Cor. 11

Exod. 12

EVCHARISTIAE I. 35.

mendo (quod etiam typus erat magni mysterij) præcipitur moderatio: aut pœna indigne sumentibus legitur inflicta. Quocirca grauis pœna, indigne suscipientibus eucharistiã denunciata, & exemplo Corinthiorũ cõprobata: arguit reipsius, in eucharistia uere contentæ, dignitatẽ & eminentiã.

¶ Demum ad Hebræos scribens idem apostolus, ait de Christo, q̄ ingrediẽs mundũ dicit ad patrẽ: Hostiam & oblationẽ noluisti: corpus aut̄ aptasti mihi: Holocaustomata & pro pctõ: non placuerũt tibi. Tunc dixi: ecce uenio. In capite libri scriptũ est de me, ut facerem uoluntatẽ tuam deus. Superius dicens, quia hostias & oblationes & holocaustomata pro pctõ noluisti: nec placita sunt tibi q̄ secundum legem offeruntur, tunc dixi: ecce uenio ut faciam deus uoluntatem tuam: aufert primũ, ut sequens statuat: hæc ibi. In quibus uerbis plane astruit apostolus, sacrificia omnia legis ueteris (q̄ tanq̄ figuræ præcesserant) exhibita ueritate, ablatã fuisse & abrogata prorsus, tpe passionis dominicæ. Et pro illis unum successisse sacrificiũ nouæ legis, deo acceptissimum: oblationem. s. Christi in cruce, pro totius mundi sanctificatiõẽ. Cuius qdẽ oblationis quotidiana cõmemoratio frequẽtatur in ecclesia, per sacrosanctã eucharistiã in officio missæ immolationem. Quinimo idem sacrificiũ in cruce oblatum (q̄uis diuerso quodam mō) quotidie in missæ mysterio offertur deo patri in odorem suauitatis. Quod & Origenes confirmat homelia tertia super Leuiticum, dicens, Omnis quidem pene hostia q̄ offertur in lege: habet aliqd formæ & imaginis Christi. In ipsum nanq;: omnis hostia recapitulatur: in tantum, ut postquam ipse oblatus est; omnes hostiæ cessauerint, quæ cum in

§ Heb. 10

Psal. 39.

Origenes.

DE SACRAMENTO

Gene. 14.
Leuit. 24
Num. 15

typo & figura præcesserunt. Hæc ille. Atqui si in ipsa eucharistia dūtaxat est corpus dñi cum tanq̄ in figura & signo, ut secundum substantiam nihil aliud ibi sit q̄ panis materialis & uinum naturale quemadmodum dicūt aduersarij: qñ in ipsius missæ celebratione offertur a sacerdote sacra eucharistia, necesse est fateantur ipsi nihil aliud ibidem offerri secundum rem ipsam: nisi panem secundum substantiam & uinum, quæadmodum ab ipso Melchisedech fuit oblatum, & sicut in sacrificijs ueteris legis offerebantur panes propositionis, & uinum libaminum. Nihil ergo differt quotidiana oblatio ecclesiæ in missa: ab hostijs ueteris legis, & ita nō sunt hostiæ uetusti ritus abolitæ in lege euangelicæ: sed semper hæcenus cōtinuatæ, & ad cōsummationem usq; sæculi continuandæ atque frequentandæ, contra sancti apostoli sententiam mō adductam. Ecce quomodo Oecolampadius cum suis complicibus abnegat nouæ legis gratiam & unicum sacrificium: nosq; detrudit ad ueteris instituti uictimas, illasq; reducit & resuscitat cum earum cærimonijs, neq; sinit fideles abiecta figuræ opacitate: in luce ueritatis ambulare.

¶ Sanctionum canonicarū & scriptorū ecclesiasticorū autoritate etiam demonstrari: q̄ in eucharistia uerum Christi corpus re ipsa cōtinetur.

Ca. XI.

Post uaria sacrarū literarū, ex utraq; pagina ueteri & noua, desumpta testimonia: oportunū nunc est nos ad canonicarū sanctionū & probatissimarū diuinæ script. interpretū autoritates progrē